eos poſsit abſoluere, poſſunt ad inuicem ſe abſoluere, prout tenet Ioãnes Fabian. in ver. abſolutio. 2. §. 6. Licet enim ſecundum ius ordinarium excõmunicatus maiori Excõmunicatione non poſsit alium Excomunicatum eadem Excomunicatione maiori abſoluere, prout eſt notatum in ſacris Canonibus. c. audiuimus. 4. q. 1. in caſu tamen neceſsitatis, vbi non eſt alius frater, qui eos poſsit abſoluere, poteſt Excõmunicatum abſoluere, & ratio eſt: quia neceſsitas non habet legem, & probat hoc dictum Ioãnes Fabian, à maiori. Quia ſi Excõmunicatus in caſu neceſsitatis poteſt abſoluere à peccatis, à fortiori poterit ab Excõmunicatione. Hæc ex patre Emanuele, Tom. 1. qq. regul. q. 20. art. 13.

34 ¶ Sixtus. 4. conceſsit omnibus fratribus Minoribus de Obſeruãtia, præſentibus & futuris, tam profeſsis, quàm nouitiis: qui tamẽ habent propoſitum profitendi: nec non ſororibus ſanctę Claræ, & tertiarijs vtriuſq; ſexus, & famulis, & ſeruitoribus prædictorum omnium: vt quilibet eorum poſsit ſemel eligere Cõfeſſorem de huiuſmodi Obſeruantia: qui audita eius confeſsione, pœnitentiam ſalutarẽ iniungendo, abſoluat eos ab õnibus